



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Sessio Secvnda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

ORDO ET CÆRIMONIÆ SYNODI.



Cum altera annua Diœcesana Synodus Osna-
brugensis autumnalis, feriâ
tertiâ post Remigii, loco
consueto Osna-brugi cele-
brari solet; Illustrissimus
& Reverendissimus ve-
rò Episcopus Osna-brugen-
sis, Dominus FRANCI-
SCVS GVILIELMVS, ad consecrationem,
tam Illustrissimi & Reverendissimi Domini Chri-
stophori Bernardi, Episcopi Monasteriensis, die
decimâ septimâ Septembris, quàm etiam Illustris-
simi & Reverendissimi D. Theodori Adolphi,
Episcopi Paderbornensis, primâ Octobris, in propria
cujusque Ecclesia habendam, auctoritate Apostolica
requisitus fuerit: hinc, pro hac vice, in diem un-
decimam Octobris dilata, ac, ut, ad præfatum ter-
minum undecimâ Octobris, omnes ii, qui huic
Synodo interesse tenentur, debito modo compare-
rent, publicis citationibus convocati fuerunt.

Pridie Synodi, die nimirum decimâ Octobris,
ad horam tertiam pomeridianam, præsentem Illu-
strissimo & Reverendissimo Domino Episcopo, in
Residentiâ Illustrissimæ Suae Celsitudinis omnes,
è Clero ad Synodum convocati, comparuerunt.
Quibus Tabella disciplinæ Synodalis, uti in
Synodo quintâ Osna-brugensi habetur, prælecta,
omnibusque, ut eam hoc Synodi tempore diligenter
observent, demandatum fuit.

Die undecimâ, mane horâ quartâ, pulsatum in
Cathedrali, & in Collegiata Ecclesia S. Ioannis, ad
Matutinum & Laudes, his Prima, Tertia, &
Sexta, inclusivè, subjuncta fuit. Campanæ duæ
maiores in Cathedrali, pridie Synodi à quarta po-
meridiana usque ad quintam, & à quinta matini-

na usque ad sextam ipsâ die Synodali, compulsa-
e fuerunt; interea totus Clerus tempestivè ad Eccle-
siam Cathedralē convenit.

Horâ sextâ matutinâ, bini & bini, per mino-
rem templi portam prope S. Paulum, processerunt
obviam Illustrissimo, eodem ordine ac modo, ut in
Synodo vernali quinta.

Sacrum hac die solemniter de Spiritu sancto, per
Reverendissimum & Illustrissimum Dominum
Episcopum, decantatum; nec non Concio Synoda-
lis, tam ante quàm post prandium, per altemen-
ratam Illustrissimam Suae Celsitudinem habita
fuit. Qua finita, per Secretarium Synodi generalia
Decreta, in singulis Synodis publicari solita, prout
in quinta Synodo vernâ, prælecta fuerunt.

Vi primum SS. Concilii Tridentini Decretum de
professione fidei faciendâ prælectum fuit, accesserunt
singuli, qui in prioribus Synodis fidei professio-
nem nondum emisserant, ac eandem ad manus Illu-
strissimi, tæctis SS. Evangelii, sub formulâ, Syn-
odo priori insertâ, emisserunt.

His ita peractis, cum hora undecima immine-
ret, Secretarius Synodi, ex Cathedra descendens,
interrogavit Illustrissimum, his verbis: Placetne
Illustrissimæ ac Reverendissimæ Celsitudini
Vestrae, indici, continuationem hujus Synodi
fore post prandium hora secunda? Respondit
Illustrissimus: Placet. Secretarius ascendit Câ-
thedram, & indixit continuationem Synodi in hæc
verba: Decernimus ac mandamus, continua-
tionem hujus Sessionis fore hora secunda post
prandium.

Postea Promotores insiterunt, accessit Notario,
contra contumaciam absentium; & alia, ut
in priori Synodo, observata fuerunt.

SESSIO SECUNDA.



Aprandio, horâ primâ, datum fuit
signum ad Vesperas. Medio secundæ
denno, majore campanâ, facta com-
pulsatio ad Sessionem Synodalem.
Horâ secundâ, finitis Vesperis, Illu-
strissimus processit cum Aulicis suis ad Ecclesiam.
Cathedralis Ecclesiæ Prælati & Canonici ad fores
Ecclesiæ Illustrissimam Suae Celsitudinem expe-
ctarunt. & reliqua, respectivè, ut in præcedenti Syn-

odo, acta fuerunt. Habita denno Concio Synodalis
per Reverendissimam & Illustrissimam Suae Cel-
situdinem. quâ finita, Synodi Secretarius accessit
ad Illustrissimum, petiitque, num Illustrissimæ Suae
Celsitudini placeat, Decreta, pro hoc temporum
statu & in præsentem Synodo confecta, prælegi ac
publicari. Respondit Illustrissimus: Placet. Reas-
sumpsit Secretarius lectionem Decretorum.